

extra memoratos casus, atque limitationes, procedit data nostra conclusio. Siquidem jus sufficienter distinguit inter consuetudinem communem, sive tempore ordinario præscriptam, et inter consuetudinem immemorialem; hoc ipso, quod attribuerit huic supra dictas speciales prærogativas. Prout simile quid notatur, cap. 1, de *Præscript.* in 6, ubi præscriptio temporis immemorialis expresse distinguitur a præscriptione temporis ordinarii, et valet ista non valente. Atque per hæc patet solutio ad rationes contrariæ sententiæ.

194. *Consuetudo potest abrogari per contrariam consuetudinem.* — Quæritur III. An, et qua ratione consuetudo abrogetur per contrariam consuetudinem? Resp. I. Certum est consuetudinem legitime completam posse abrogari, seu tolli per aliam consuetudinem sibi contrariam. Ratio est clara; quia consuetudo habet vim legis; ergo sicut lex posterior derogat priori, cap. 1, de *Constitut.* in 6, et sicut pacta novissima prævalent prioribus, l. *Pacta novissima.* C. de *Pactis*, ita consuetudo posterior excludit priorem.

195. *Et quæ ad hoc requirantur?* — Resp. II. Ut consuetudo posterior tollat priorem, requiritur imprimis, quod ipsi sit directe contraria: alioquin enim una consuetudo secum competeretur alteram, aut ipsam explicaret; sicque posterior non tolleretur priorem. Deinde requiritur, ut consuetudo abrogatoria prioris fuerit legitime præscripta; hoc est, frequentatis contrariis actibus continuata tanto tempore, quanto opus habuerat prior consuetudo ad sui introductionem. Hoc tamen præcipue locum habet in consuetudine præter legem, utpote quæ est novi juris constitutiva, sicque non abrogatur, nisi tempore ad aliam legem abrogandam requisito: nam in consuetudine contra legem datur ratio specialis, de qua num. seq. Tandem ad consuetudinem abrogatoriam prioris requiritur, quod sit rationalis, atque a majori parte communitatis observata: quia enim consuetudo legitime introducta habet vim legis; ergo ad ejus abrogationem ea omnia requiruntur, quæ requiruntur ad legem vi contrariæ consuetudinis abrogandam superius jam dictum fuit.

196. *Ut consuetudo contra legem abrogetur per aliam, non requiritur tempus ordinarium.* — Resp. III. Loquendo de consuetudine contra legem (quæ alio nomine *Desuetudo* appellatur) ad hujus abrogationem, utpote per quam receditur ad jus commune, non est

necessarius lapsus temporis cæteroquin ad consuetudinem introducendam requisitus. Unde quando consuetudo posterior contra aliam consuetudinem reducit nos ad terminos juris communis ecclesiastici, sufficere tempus decem annorum ad tollendam contrariam consuetudinem priorem, tenet Abbas cap. ult. n. 49, h. t.; Felinus c. *Cum accessissent.* n. 30, de *Constitut.*; Mascardus, concl. 172, n. 45, citans alios; et Suarez, lib. VII, de *Legib.* cap. xx, n. 21. Qui tamen id solum admittit in casu, quo prior consuetudo contra jus commune fuit particularis, seu alicujus specialis loci, non autem universalis totius Ecclesiæ.

197. *Et sufficit decennium.* — Et hoc tradunt præcitati auctores, haud obstante, quod ad derogandum juri canonico per contrariam consuetudinem requirantur tempus quadraginta annorum. Rationem dicte specialitatis dant: quia ad inducendam consuetudinem præter jus, generaliter sufficit lapsus decem annorum, per dicta superius n. 94; atqui posterior consuetudo, per quam fit regressus ad jus commune antiquum, hoc ipso est consuetudo præter jus, aut potius secundum jus, non autem contra jus; ergo. Verum, quia superius § 4, n. 105, et seqq. cum pluribus aliis dictum fuit ad derogandum legibus ecclesiasticis per contrariam consuetudinem sufficere decennium, hinc juxta eandem sententiam data horum doctorum responsio caret specialitate.

198. *Imo neque tale tempus requiri videtur.* — Alia vero ratione incedit Navarrus, consil. 1, de *Constitut.* quæst. 7, n. 28, quem sequitur Suarez lib. IV, de *Legib.* cap. xvi, n. 43, dum aiunt, quod si lex ab initio non fuerit recepta neque observata per aliquod tempus sufficiens, non idcirco lex censeatur omnino annullata, et revocata; ac proinde, si postea communitas mutet animum, legemque illam generaliter latam incipiat recipere, ac pro majori parte observare, revera lege illa obligari incipiat absque nova legislatoris voluntate. Ratio hujus esse potest; tum quia non sunt idem, legem a principe revocari; et legi per contrariam consuetudinem (præsertim specialem) derogari. Ibi enim lex omnino tollitur, ac perit ejus substantia, sicque non potest amplius reviviscere, nisi legislator, aut consuetudo legitime præscripta, eam de novo reproducat: hic autem solum quodammodo suspenditur obligatio legis, et revocatur non simpliciter, sed quamdiu populus,

sive communitas, in sua contraria consuetudine vult persistere, nec juri suo cedere incipit; tum quia res de facili revertitur ad suam primævam naturam, arg. l. *Filio quem pater.* ff. de *Liberis et posthum.* et l. *Si unus.* § *Pactus* in fin. ff. de *Pactis*, Simulque consuetudo, per quam fit regressus ad jus commune, seu ad priorem regulam, sive legem, censeatur favorabilis ac benigna; ut tradit card. de Luca, de *Jurisdictione*, discours. 37, n. 7, et de *Dote*, discours. 43, n. 8, citans Ancharanum, consil. 131; tum tandem, quia quilibet potest renunciare juri suo c. *Si diligenti.* de *Foro compet.* cum similibus; ergo etiam populus, sive alia communitas, potest renunciare juri per contrariam consuetudinem sibi competenti quoad exemptionem a lege communiter lata: atqui is, qui juri suo semel renuntiat, illud repetere non potest, can. *Quam periculosum.* 7, q. 1, cum concordantiis; ergo. Certe, ut legi a principe latæ derogetur per contrariam consuetudinem « via conniventia, » seu principe eam sciente et tolerante, non requiritur certum tempus, sed sufficiunt actus contrarii judicio prudentis viri determinandi, ut dictum supra § 4, n. 94, et seqq.; multo magis igitur hoc est dicendum de abrogatione prioris consuetudinis contra legem per aliam posteriorem, eo quod hanc et princeps lege sua generaliter lata expresse desideraverit induci, et ipsam populus mutato suo priori animo ex certa scientia amplecti voluerit.

## TITULUS V.

### De Postulatione Prælatorum.

1. *Ratio continuationis titularum.* Parum est jura condere, nisi sint qui ea tueantur. — Explicatis generalibus principiis juris, tum scripti, tum non scripti, incipit compilerator juris canonici hoc titulo tractare de ministris ipsis, id est, iudicibus, et prælati ecclesiasticis, qui possint eadem jura reddere. Siquidem parum foret, jura condere, nisi essent qui eadem tuerentur, c. *Ubi periculum.* § *Præterea,* de *Elect.* in 6, et l. 2, § *Post originem.* ff. de *Orig. jur.* quique ea executioni debitæ demandarent, cap. 1, § *Et quoniam.* de *Statu Regular.*, in 6. Cum igitur prælati ecclesiastici ad dignitates, et officia sua promoveantur

vel per postulationem, vel per electionem, vel per translationem, qua v. g. episcopus auctoritate apostolica transfertur ab uno episcopatu ad alium: hinc de istis tribus modis per sequentes tres titulos singillatim agitur, incipiendo a postulatione. De qua loquendo sit.

## § I.

### DE NATURA ET DIVISIONE POSTULATIONIS, EJUSQUE DIFFERENTIIS AB ELECTIONE.

2. *Postulatio proprie dicta.* — Quæritur I. Quid sit postulatio? Resp. I. « Postulatio proprie dicta, » et quantum ad propositum, est alicujus personæ ad prælaturam, seu dignitatem ecclesiasticam erga superiorem directa petitio, ut eam dispensative admittente velit. Ita in re communis; patebit et amplius ex dicendis.

3. *Et postulatio in genere quid?* — Dicitur notanter, « Postulatio proprie dicta. » De hac enim impræsentiarum ex professo loquimur: alioquin enim si velimus loqui de postulatione in genere, ac prout etiam improprie dictam sub se complectitur, absolute erit dicendum cum Glossa ad rubric. h. t. in 6, quod « Postulatio est petitio gratiæ facta a superiore. »

4. *Est introducta in subsidium electionis.* — Et additur inter alia « dispensative: » quia postulatio semper est de persona, quæ quopiam impedimento, aut defectu laborat, ratione cujus de jure eligi non potest, ac propterea opus habet dispensatione. Postulatio siquidem fuit inventa in subsidium electionis, nimirum ut illi, qui secundum canones eligi non possunt, saltem postulari, atque ex superioris gratiæ dispensative promoveri valeant, quando cæteroquin Ecclesiæ utiles esse futuri dignoscuntur. Zoesius h. t. n. 3; Pirhing. n. 4. Ille autem, qui de jure potest eligi, non debet postulari: et si electores ipsum postulant, nihil agunt. Abbas ad rubric. h. t. n. 3, et amplius infra n. 31 et 32, dicitur.

5. *Postulatio sollemnis?* — Quæritur II. Quotuplex sit postulatio? Resp. I. Postulatio est duplex, sollemnis videlicet, et non sollemnis. Ita Abbas, cap. 1, n. 34, h. t.; Engel, eod., n. 8, et alii passim. Et quidem « Postulatio sollemnis dicitur, » quando postulatur quis ab eo superiore, qui potest in impedimento, seu defectu postulati dispensare. Et de hac pro-

cedit proxime data definitio postulationis : simulque ejus admissio spectat ordinarie ad summum Pontificem ; cum ipsi soli regulariter, et nisi inferior speciali privilegio, vel consuetudine munitus sit, dispensandi potestas competat.

6. *Et non solemnis, seu simplex quid?* — « Postulatio non solemnis, seu simplex, » est, in qua non petitur dispensatio contra jus, sive relaxatio legis, sed solum licentia et consensus superioris ad promotionem postulati, qui eidem subest : ut si religiosus postuletur a canonicis in episcopum, vel monachus unius monasterii in abbatem alterius monasterii ; quia neutrum fieri potest absque consensu et licentia proprii prælati, ad quem proinde facienda est postulatio hujusmodi pro impertienda licentia transeundi a proprio monasterio ad aliud, vel ad ipsum episcopatum.

7. *Hæc multipliciter differt a solemn.* — Resp. II. Postulatio non solemnis, seu simplex, multipliciter differt a solemn. Primo, quia in postulatione solemn. postulatur directe sponsus ipse, hoc est, persona assumenda ad prælaturam ; in postulatione simplici econtra petitur solummodo aliquid prævium, vel concomitans, puta consensus illius, cui assumendus subest, vel qui in tali assumptione alterius ad prælaturam quoquo modo habet interesse. Deinde postulatio solemn. ; admissa a superiore, habet vim electionis, et confirmationis, adeo ut ex tunc postulatus acquirat jus ac si fuisset electus, neque indigeat alia confirmatione : secus est in postulatione minus solemn. quæ licet admittatur, adhuc opus est electione, et ipsius electi confirmatione. Abbas, cap. 1, num. 34, h. t. Summa angelica, §. *Postulatio*, numer. 4, et alii. Tertio differunt, quia postulatio simplex non necessario fit collegialiter, imo sufficit, si quoquo modo tollatur obstaculum, aut obtineatur consensus superioris : secus est in solemn. nam, quia hæc est canonica forma providendi Ecclesiæ viduatæ, nequit fieri nisi ab electoribus capitulariter, seu collegialiter congregatis. Passerinus, cap. xxiv, de *Electione*, quæst. 1, num. 4, afferens plures alias differentias.

8. *Postulatio non solemn. dupliciter fieri potest.* — Cæterum simplex postulatio potest dupliciter fieri. Primo, ante electionem canonicè celebratam, petendo videlicet suppliciter a superiore eligendi consensum, ut subditum suum eligi patiat : et talis postulatio nullum omnino jus tribuit postulato, sed id

dumtaxat operatur, ut si obtenta licentia superioris sui fuerit electus, possit consentire, atque electionem de se factam acceptare. Secundo potest simplex postulatio fieri post electionem jam canonicè celebratam, dum videlicet postulandus eligitur sub tacita conditione, seu quæ de jure inest, si ejus superior licentiam acceptandi concessurus erit. Et hac postmodum ad prævias preces per superiorem concessa, purificatur electio, potestque electus illico acceptare electionem, sibi que jus ex ea acquirere. Sylvester, §. *Postulatio*, quæst. 6; Pirhing, h. t. n. 39, et alii.

9. *Et non tam est postulatio, quam electio.* — Ubi ulterius notandum cum Ludov. Engel, h. t. n. 9, quod hujusmodi simplex postulatio non tam sit postulatio, quam electio, ac proinde nihil intersit, utrum capitulares electionis, vel postulationis vocabulo utantur. Idque desumitur ex c. *Si Religiosus*, 27, et c. *Nullus*, 28, juncta Glossa, §. *Eligatur de Electione*, in 6, ubi regulares assumpti ad regimen aliarum Ecclesiarum, seu prælaturarum, dicuntur eligi, haud obstante, quod sint postulandi postulatione minus solemn. Verum de hac imposterum ex professo non erit sermo, sed tantum de solemn. postulatione. Proinde

10. *Postulatio solemn. in quibus differat ab electione.* — Quæritur III. In quibus postulatio solemn. differat ab electione? Ubi supponendum, quod *Electio* sit personæ idoneæ ad Ecclesiam vacantem, seu prælaturam per eos, quibus jus eligendi competit, canonica vocatio ; de qua mox plura, tit. seq. Hoc prænotato,

11. *Earum differentia primaria, et essentialis, quæ?* — Resp. cum communi. Plures sunt differentie inter postulationem, et electionem ; et tales ut, quibus probe intellectis, natura postulationis solemn. exactius cognoscatur. I. Siquidem electio est personæ habilis ad dignitatem ; postulatio vero personæ aliquo defectu, vel impedimento laborantis, ob quod non est eligibilis, ac propterea dispensatione opus habet : ut si quis non est procreatus de legitimo matrimonio, c. *Innotuit*, 20, de *Elect.* vel quia non habet legitimam ætatem, aut alium similem defectum patitur. Et hæc est primaria, atque essentialis differentia inter postulationem et electionem, ex qua proveniunt cæteræ : Unde

12. *Eligentes consentiunt in electum, ut in sponsum Ecclesiæ : secus fit in postulatione.* — II. Differunt : quia eligentes consentiunt in

electum ut in sponsum Ecclesiæ, ad quam eligitur : etenim per electionem initiatur spirituale vinculum conjugii, quod est inter Ecclesiam et electum, cap. ult. de *Translat. episcop.* Secus est in postulatione : nam qui postulatur, non consentiunt in postulatum ut in sponsum Ecclesiæ, nec initiatur spirituale matrimonium (postulatus enim ad hoc censetur esse inhabilis), sed solum vota sua dirigunt ad superiorem, ab eoque humiliter petunt, ut is ex gratia, et dispensative, velit postulatum admittere ad Ecclesiam gubernandam. Glossa, cap. un. §. *Eligo postulando*, h. t. in 6. Abbas ad rubric. h. t. n. 3, et alii.

13. *Postulatio innititur gratiæ, electio juri.* — III. Differunt : quia postulatio innititur gratiæ, electio juri, juxta Glossam communiter receptam, in cap. un. §. *Eligo postulando*, h. t. in 6. Ratio est, quia postulatio nullum tribuit jus postulato, utpote qui habet defectum ; quem proin superior non tenetur dispensative admittere ex justitia, sed solum ad dispensandum cum eo, atque ad ejus admissionem concedendam quandoque movetur ex gratia, c. *Bonæ memoriæ*, 3, juncta Glossa §. *Gratia*, h. t. Econtra vero electio, si canonicè sit celebrata, et ab electo acceptata, confert huic jus ad prælaturam ; ita ut absque injuria rejici non valeat, si cæteroque dignus sit, ac idoneus : et si vel ipsa, vel suæ confirmatio electionis sibi negetur, potest eam electus actione instituta petere, eo quod ex justitia debeatur, ut c. *Postquam*, 3, de *Elect.* e docet amplius Glossa ad rubricam, h. t. in 6.

14. *Solvitur instantia.* — Dices. Quando postulatio est facta ab omnibus, vel saltem a duabus partibus vocalium, tunc superior eam non admittendo facit injuriam ; ergo postulatio quandoque est admittenda ex justitia, et non tantum ex gratia. Anteced. probatur tum per Glossam notabilem in c. *Cupientes*. §. *Denique* §. *Gratia de Elect.* in 6, tum ex c. *Scriptum est*, 40, de *Elect.* ubi dicitur postulationem a duabus partibus factam, esse admittendam. Resp. neg. consequent. Quia etiam in dicto casu postulatio innititur gratiæ, sed generali, de qua fit mentio in c. *Sedes*, 15 et c. *Nonnulli*, 28, § 1. de *Rescriptis*. At si non sit facta in concordia, vel a duabus partibus, vel ex publica causa, tunc ea dependet ex gratia speciali. Glossa cit. §. *Gratia*, et Abbas cap. penult. n. 2, h. t. Et quamvis in priori casu superior, absque juxta causa negans admissionem postulationis, facere dicatur injuriam,

hæc tamen non fit postulato (utpote cui of suam inhabilitatem, seu defectum, quem patitur, ex postulatione jus nullum competit ; cum adhuc indigeat dispensatione simpliciter petenda), sed solum Ecclesiæ, pro cujus majori bono ipse a capitularibus fuit concorditer postulatus, quodque superior vi officii sui promovere deberet, prout amplius infra numer. 69, et seqq. dicitur.

15. *Postulatus an, et qua ratione possit consentire?* — IV. Postulatio et electio differunt : quia electus potest in electionem de cætero canonicè consentire, eamque simpliciter acceptare : non sic postulatus, eo quod nullum huic jus sit quæsitum, sicut illi. Quinimo si postulatus ante factam a superiore admissionem postulationis in hanc consentiret, censeretur ambitiosus, ac proinde tanquam ambitiosus cassaretur in curia ; ut attestatur Hostiensis c. *Et si unanimiter*, in princip. §. *Volatum*, et Joan. Andreas, ibid. num. 2, et Fagnanus, num. 12, h. t. Igitur, si postulatus velit consentire, potest dicere ; « Non dissentio » vel, « Committo me dispositioni Domini Papæ. » Abbas d. c. *Et si unanimiter*, n. 2, h. t. Aut poterit consentire non absolute, sed solum quantum est ex se, ac sub conditione dispensationis. Passerinus, cit. cap. 24, quæst. 8, n. 13 ; Engel h. t. n. 3.

16. *Postulatio in jure dicitur admitti, electio confirmari, et cur?* — V. Differunt : quia postulatio, utpote quæ absque ulla postulati injuria potest rejici, in jure solum dicitur admitti ; ut cit. c. *Bonæ memoriæ*, h. t. et c. *Scriptum est*, 49, de *Elect.* et alibi ; quamvis ejusmodi admissio facta a superiore habente potestatem dispensandi, et confirmandi, vim habeat electionis, et confirmationis. Econtra vero electio dicitur confirmari ; ut c. *Quia diligentia*, 5, et c. *Cum monasterium*, 13, de *Electione*, cum similibus. Ratio hujus est, quia *Confirmatio* supponit jus aliquod præexistens (nam quod non est, confirmari nequit c. *Inter dilectos*, §. *Cum igitur de Fide instrument.*) atqui postulatio nullum tribuit jus, bene autem electio ; ergo recte hæc confirmatur, non autem illa, quæ proin solum admitti dicitur.

17. *Electio post publicatum scrutinium nequit revocari, bene tamen postulatio.* — VI. Differunt : quia electio post publicatum scrutinium, ab eligentibus revocari, vel mutari nequit, c. *Publicato*, 58, de *Elect.* juncta Glossa §. *Variare*, et doctorum ibidem Pos-

tulatio vero, quantumcumque fuerit publicata, vel etiam ad superiorem destinata, dummodo actualiter superiori tradita necdum sit, revocari potest a postulantibus, atque ab his alius libere eligi, vel postulari, prout desumitur ex cap. 4, § *Nec obstat*, h. t. ac notat Abbas ibid. n. 11, et Barbosa n. 14, citans alios, contra Glossam fin. cap. ult. h. t. Et ratio diversitatis est quia per postulationem nullum jus acquiritur postulato, cum sit inhabilis; unde is non habet, de quo conqueratur, si postulantes variare velint, atque postulationem revocent: secus fit in electione.

18. *Etiam si hæc jam fuisset postulato præsentata.* — Et hoc adeo verum est, ut extendatur etiam ad eum casum, quo postulatio jam est præsentata ipsi postulato, ab eoque consensus conditionatus præstitus; adhuc enim licet postulantibus variare, antequam postulatio sit actualiter præsentata superiori. Engel, h. t. n. 4, et Passerinus, cit. cap. 24, quæst. 9, n. 17. Imo hoc ipsum esse verum, licet promiserint se non variaturos, tradit Baldus in c. *Postulationem*, n. 2, h. t.; tum quia (ut ipse loquitur) libera debet esse postulatio re integra; tum quia nullum ex tali postulatione, vel etiam promissione, acquiritur jus postulato, eo quod sit inhabilis.

19. *Hoc tamen pro foro conscientie nequit fieri absque justa causa. Alioquin postulantes tenentur ad restitutionem expensarum.* — In foro tamen conscientie non possunt postulantes absque justa causa a postulatione recedere. Talis quippe variatio absque alia honesta causa facta non caret levitate, ac peccato inconstantie; simulque de facili cedit in præjudicium honoris, et reputationis postulati; imo tale factum habet in se contumeliam, arg. l. *Si vero*, § fin. ff. *Qui satisfacere cogantur*, ac notat Baldus c. *Publicato*, n. 5, de *Elect.*; Passerinus, d. quæst. 9, n. 19 et 20. Ubi addit, quod si postulatus fecit aliquas expensas de consensu postulantium, teneantur hi ad restitutionem dictarum expensarum, si recesserint a postulatione: quia sic variando intulerunt postulato præjudicium dictarum expensarum, utpote inutiliter factarum: atqui non est licitum variare cum alterius detrimento, c. *Mutare*, 33, de *Reg. jur.* in 6.

20. *Postulatio præsentata superiori, nequit amplius variari.* — Additur autem num. 18. « Antequam postulatio sit actualiter præsentata superiori. » Nam si ea superiori, v. g.

Papæ tradita jam fuerit, amplius postulantes ab ea recedere non possunt, sed debent expectare iudicium superioris; prout habetur expressum, cit. cap. iv, h. t., ibi: « Si enim, postquam postulatio subscriptionibus postulantium roboratur, et præsentatur Romano Pontifici approbanda, possent ab ea recedere postulantes, Nobis (inquit Pontifex) frequenter illuderent, et iudicium nostrum ex eorum pendere arbitrio videretur. »

21. *Nisi superior consentiat.* — Quod si vero quoad hoc superior, et postulantes simul concordent, locum habet variatio postulationis, etiam post hujus præsentationem superiori factam, non obstante contradictione postulati, arg. c. *Bonæ memoriæ*, 4, ac notat Abbas, ibid., n. 12, et Fagnanus, n. 50, h. t., citans alios. Tunc etenim ex una parte cessat periculum illudendi superiori, dum hic ipse consentit: ex altera vero nullum adhuc jus est quæsitum postulato, ac proinde non habet, de quo juste conqueratur.

22. *Ad postulationem, si concurrat cum electione, requiritur postulantium numerus duplo major.* — VII. Electio, et postulatio differunt quantum ad numerum suffragiorum. Siquidem ad electionem sufficit, ut major et sanior pars capituli consentiat in electum, nihilque aliud canonicum obstat, c. *Quia propter*, 42, de *Elect.*, cum concordantiis. Econtra vero ad postulationem, si concurrat cum electione (id est, si una pars capitularium quempiam postulet, altera vero alium eligat) requiritur, ut postulantium numerus sit duplo major, quam eligentium; ita videlicet, ut duæ tertiæ capitularium, v. g. ex quindecim decem, stent pro postulato: alioquin enim postulatio est repellenda, juxta c. *Scriptum est*, 40, de *Elect.*, atque amplius dicetur, tit. seq., n. 153 et seqq.

23. *Secus si non concurrat cum electione.* — Additur notanter, « Si postulatio concurrat cum electione; » nam si cum ea non concurrat (puta, si omnes capitulares postulationem, sed circa diversas personas instituant), satis erit, quod postulatio personæ idoneæ facta sit a majore parte capituli, ut eam superior admittere possit, neque opus est, ut habeat duas tertias. Abbas, c. *Bonæ memoriæ*, 3, n. 12, h. t., citans Gofredum, et Layman, cap. iii, n. 5, h. t., cum aliis. Nam ordinarie ad gesta capituli plus non requiritur, quam quod major pars consentiat; ut cap. i, de *his, quæ fiunt a majore parte capituli*, et l. *Quod major*, ff. *Ad municipalem*.

24. *Rejicitur postulatio a minore parte capituli facta.* — Nec obstat c. *Bonæ memoriæ*, 3, h. t. ubi rejicitur postulatio facta a minori, quam tertia parte capituli, haud obstante, quod ipsa concurrerit cum alia postulatione, ut patet ex textu. Resp. enim id factum ex eo, quia postulatio illa non fuit facta a majore parte capituli; cum nec a tertia parte facta fuerit, sed solum ab alia adhuc minori. Tales quippe postulationes in tanta divisione, et contradictione celebratas, non consuevit Sedes apostolica recipere; secus, si postulatio illa fuisset facta a majore parte capituli, per jura proxime allegata.

25. *Ex electione competit actio, non ex postulatione.* — VIII. Differunt: quia ex electione competit actio ad prosequendam ejus confirmationem, non autem ex postulatione. Glossa, in c. *Bonæ memoriæ*, 3, § *Gratia*, h. t., et alia Glossa, ad rubricam, h. t., in 6. Ratio est, quia actio est jus prosequendi in iudicio, quod sibi debetur, § 1, *Instit. de Actionib.* Atqui ex postulatione nullum acquiritur jus, bene tamen ex electione canonice facta; ergo.

26. *Electis suis sumptibus tenetur procurare confirmationem, non vero postulatus admissionem.* — IX. Tandem, ut alia taceantur, differunt: quia electus suis sumptibus tenetur procurare confirmationem electionis: non vero postulatus admissionem suæ postulationis, imo hæc est obtinenda expensis postulantium, ut statuitur in c. *Cupientes*, 16, § *Si vero*, et § *Denique de electionib.*, in 6. Et ratio disparitatis est, quia electo ex electione fuit jus quæsitum, quod proinde suis expensis prosequi debet, alioquin tali jure privaretur: secus fit in postulatione, ut dictum.

## § II.

## DE HIS, QUI POSTULARE, VEL POSTULARI POSSUNT.

27. *Omnes illi postulare possunt, qui possunt eligere. Electio, et postulatio, quoad jus suffragandi æquiparantur.* — Queritur I. Quinam postulare possint? Resp. Omnes illi postulare possunt, qui possunt eligere. Ita Glossa, c. *Post translationem*, § *Liberam de Renuntiat. Hostiensis*, in summa, h. t., numer. 9; Abbas, c. *Publicato*, n. 10, de *Elect.*; Passerinus, cit. cap. xxiv, quæst. 4, n. 7; Barbosa, c. *Bonæ memoriæ*, 4, n. 5, h. t.; Zoesius, eod., n. 5; Pirhing, n. 17, et alii. Idque desumitur

ex cap. i, § fin., et cap. iv, § *Cæteri*, h. t., et c. *Innotuit*, 20, de *Elect.*, ubi electio, et postulatio quoad jus suffragandi æquiparantur; et qui eligere possunt, etiam postulare permittuntur. Accedit ratio, quia postulatio est medium perveniendi ad electionem: inventa est enim postulatio in subsidium electionis, ut qui per canones eligi prohibentur, saltem postulari, atque ex superioris gratia dispensative in prælatum haberi valeant. Simulque postulatio a superiore admissa habet vim electionis, et confirmationis, ut dictum, n. 7; ergo qui potest eligere, potest hoc ipso etiam postulare. Nam concesso principali, conceditur accessorium, c. *Accessorium de Reg. jur.*, in 6. Et concesso fine, etiam media, quibus ad eum pervenitur, concessa intelliguntur; ut c. *Præterea*, 5, et c. *Suspicionis*, 39, de *Offic. delegat.*, et l. 2, ff. de *Jurisdic. omn. judic.* Et cui committuntur sequentia, videntur committi antecedentia, l. *Ad rem mobilem*, et l. *Ad legatum*, ff. de *Procurat.*, cum similibus.

28. *Compromissarius datus ad eligendum, potest postulare. Procurator tamen datus ad prosequendam electionem, non potest prosequi postulationem; et quæ disparitas.* — Et hoc adeo verum est, ut compromissarius datus ad eligendum (dummodo non prohibeatur expresse) etiam postulare possit, c. *In causis*, 30, juncta Glossa, § *Postulatio de Elect.*, et c. *Post translationem*, § 1, de *Renuntiat.* Nec obstat, quod procurator datus ad prosequendam electionem, non possit prosequi postulationem, ut c. *Innotuit*, 20, § fin. de *Elect.* Disparitas enim est, quia procurator datur ad petendum justitiam, non gratiam: secus in compromissario, qui postulando petit gratiam. Baldus, c. *In causis*, num. 5, de *Elect.*, ubi aliam adhuc subjungit rationem, quia videlicet procurator non potest extendere mandatum suum ad diversum genus causæ l. *Maritus*, C. de *Procurat.*

29. *Qui præscripsit jus eligendi, etiam præscripsit jus postulandi. Limitatur hoc.* — Insuper, si quis præscripsit jus eligendi in certa Ecclesia, etiam præscripsisse censetur jus postulandi. Abbas, c. *Bonæ memoriæ*, 4, n. 4, h. t.; Passerinus, cit. quæst. 24, n. 7, et alii. Quod tamen Abbas, cit. n. 4, et Pirhing, h. t., n. 17, censent intelligendum esse ordinarie loquendo: nam si extraneus, qui ad electionem admissus jus eligendi præscripsit, data interim postulatione fuisset a postulatione exclusus, solum jus eligendi præscribere